

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Beatitudo siue beatus b
cum fonte primo

Tam potentem Deus fecit animam
ut de eius plenissima beatitudine
que in fine temporum sanctis promittitur,
redundat in inferiorem naturam
que est corpus, non beatitudo
que intelligentis et fruentis est propria,
sed plenitudo sanitatis que est incorruptionis uigor.

Augustinus in epistola ad Diascorum.

hoc qui non uident
caecati dulcedine carnalium uoluptatum,
quam ex indigentia sanitatis uenire
non intuentur – sanitas autem perfecta corporis
illa extrema totius hominis inmortalitas erit;
tam potenti enim natura deus fecit animam,
ut ex eius plenissima beatitudine,
quae in fine temporum sanctis promittitur,
redundet etiam in inferiorem naturam,
quod est corpus, non beatitudo,
quae fruentis et intellegentis est propria,
sed plenitudo sanitatis, id est incorruptionis uigor –,
quod qui non uident, ut dixi, bellant inquietis
altercationibus uarie pro suo quisque captu
in corpore constituentes summum hominis bonum
et carnalium seditiosorum turbas concitant;
inter quos Epicurei apud indoctam multitudinem
excellentiore auctoritate uiguerunt.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 118.3 (CSEL
34.2, A. Goldbacher ed., pp.678-9, ll.24-26, 1-11).